

patrem meum: qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos  
 multum laborem suscipere; caeterum ex omnibus maxime tutos  
 esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, ut in omnibus bellis  
 adasset vobis: nos, uti per otium tuti simus, in manu vestra  
 est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Jugurtham,  
 beneficiis suis, ratus est nobis conjunctum fore. Alter eorum  
 necatus, alter, ipse ego manus impias vix effugi. Quid  
 agam? aut quo potissimum infelix accedam? Generis praesidia  
 omnia extincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit:  
 fratri, quem minime decuit, propinquus per scelus vitam  
 eripuit: affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium  
 alia clades oppressit: capti ab Jugurtha, pars in crucem  
 acti, pars bestiis objecti sunt: pauci, quibus relicta est  
 anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu, morte  
 graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex  
 necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent: tamen,  
 si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, P. C.  
 quibus, pro magnitudine imperii, jus et injurias omnes curae  
 esse decet. Nunc vero exul patria, domo, solus atque  
 omnium honestarum rerum egens, quos accedam, aut quos  
 appellem? Nationesne, an reges, qui omnes familiae nostrae,  
 ob vestram amicitiam infesti sunt? An quoquam mihi adire  
 licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima  
 sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando  
 vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit, P. C.  
 ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societas,  
 ne foedera nova acciperemus: abunde magna praesidia nobis  
 in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur,  
 una occidendum nobis esse. Virtute ac diis volentibus  
 magni estis et opulenti: omnia secunda et obedientia sunt,  
 quo facilius socrorum injurias curare licet. Tantum illud  
 vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita,  
 transversos agat: quos ego audio maxima ope niti, ambire,  
 fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa,